



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Abbati Et Conventvi Compendien.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

CAMERACEN. CAPITULO.

Epist. 418.
Vt de ipsorum
electi vitis
inquiratur, sta-
mactroque, an-
tequam alium
eligant.

AD audientiam apostolatus nostri multorum relatione pervenit quod H. Ecclesia Cameracen. electus, cum ita incurvus sit ut promoveri de jure non possit, in minoribus ordinibus constitutus fuit à vobis ad Ecclesiam vestram electus, & à venerabili fratre nostro Vv. Remen. Archiepiscopo sanctæ Sabinae Card. ejus fuit electio confirmata: quem post electionem & confirmationem venerabilis frater noster Atrebaten. Episcopus de mandato ipsius Archiepiscopi Acolythum & Subdiaconum ordinavit, & sicut communis habetur opinio, dictus electus duxit viduam in uxorem, de qua suscepit filium in Præpositura sancti Petri Duacen. sibi nullo medio succedentem. Cum igitur, si vera sunt quæ præmissimus, relinquere non debeant impunita, cum & præsumpta sint contra canonicas sanctiones, & propterea decor honestatis ecclesiasticæ confundatur, venerabili fratri nostro Parisiensi Episcopo per scripta nostra præcipiendo mandavimus ut vocatis quos propter hoc viderit evocandos, de præmissis omnibus & etiam fama publica inquirat plenius veritatem, & quicquid super his invenerit, sub suarum testimonio literarum nobis studeat fideliter intimare, ut per relationem ipsius sufficienter instructi, securius in ipso negotio procedere valeamus. Dedimus etiam eidem Episcopo in mandatis ut vobis ex parte nostra districtè prohibeat ne ad nominationem vel electionem alicujus personæ aliquatenus procedatis, si etiam dictus electus vellet spontaneè resignare, donec super hoc nostra receperitis beneplacitum voluntatis, & si contra prohibitionem nostram & suam aliquid præsumpseritis attentare, illud decernimus irritum & inane. Dignum est enim & consentaneum rationi, ut in eo puniamini, in quo peccastis, si circa præmissam electionem inventi fueritis culpabiles extitisse. Nullis literis obstantibus, si quæ apparuerint à sede apost. impetrata. Quocirca per apostolica vobis scripta mandamus atque præcipimus quatenus contra tenorem mandati apostolici non præsumatis aliqua ratione venire, vel aliquid etiam attentare.

R. Anglorum I. Anglorum I. Anglorum I.

PARISIEN. EPISCOPO.

EAm de discretione tua fiduciam obtinemus, ut si quando tibi committimus quæ ad honorem divinum & utilitatem ecclesiasticam pertinere noscuntur, gratia & timore postpositis sagas promovere; in hac parte nobis coadjutor existens, qui ex injunctæ servitutis officio secundum Prophetam debemus evellere & plantare quæ in Ecclesia Dei evellenda fuerint & plantanda. Et cum non possimus omnia personaliter adimplere, per fratres & coepiscopos nostros cogimur supplere defectum, quos apostolica sedes in partem sollicitudinis evocavit. Sanè ad audientiam apostolatus nostri multorum relatione pervenit quod H. Cameracen. electus &c. ut supra ferè usque ad verbum impetratè.

ATREBATEN. EPISCOPO.

AD audientiam apost. nostri multorum relatione pervenit quod H. Cameracen. electus &c. ferè ut supra usque ad verbum præcipiendo mandamus quatenus cum propter vicinitatem locorum & de forma electionis & de qualitate ipsius electi dicaris habere notitiam pleniorè, tam de fama publica quam etiam de præmissis omnibus per literas tuas nobis intimare studeas veritatem, ut per relationem tuam & venerabilis fratris nostri Parisiensis Episcopi, cui hoc ipsum commisimus inquirendum, sufficienter instructi, securius in ipso negotio procedere valeamus.

ABBATI ET CONVENTUI

Compendien.

Paci & tranquillitati vestrae paterna volentes sollicitudine providere, cum ad hoc specialiter teneamur ex eo quod vestrum monasterium ad nos & Romanam Ecclesiam nullo pertinet mediante, ad vestrae oppressionem & necessitatem Ecclesiæ relevandam venerabilem fratrem nostrum Sylvanecten. Episcopum in causis vestris & alijs necessitatibus, pro quibus vobis est ad quos malueritis Episcopos generaliter recurrendum, quemadmodum in vestris privilegijs continetur, per literas quas super his exequendis specialiter ipsi dirigimus, de benignitate sedis apost. vobis

Ii iij

Epist. 429.
Committitur
inquisitio &
examen super
vitiis & moribus
electi Came-
racensis.

Epist. 430.
Vt ipse de elec-
ti Cameracē-
sis vita & mor-
tibus sententiā
ferat.

Epist. 431.
Episcopus Syl-
vanectensis da-
tur iudex in
omnibus causis
eorum.

duximus deputandum. Vnde cum pro singulis necessitatibus vestris ad Romanam Ecclesiam, & ad nos, qui specialius id exequi deberemus, facilem & sine dispendio non potestis habere recursum, volumus ut ad eundem Episcopum, qui in partem nostrae sollicitudinis est evocatus, tam pro injuriis vobis & Ecclesiae vestrae à malefactoribus quibuslibet irrogatis, & deinceps irrogandis, quam pro chrismate, oleo sancto, consecratione basilicarum vestrarum, & Clericorum vestrorum ordinatione specialiter accedentes, executionem eorum quae praesentialiter per nostrum ministerium vobis impendi non possunt, ab eo suscipiatis humiliter & devotè. Datum Laterani II. Kalend. Decembris.

HVBERTO CANTVARIEN.
Archiepiscopo.

Epist. 432.
Vt à constructione & prosecutione Capellae de Lamhee cesset atque abstinere.

Cap. Cum ex injuncto. De novi operis nuntiat.
Vide infra epist. 485. & seq. & lib. 2. epist. 71.

Cum ex injuncto nobis apostolatus officio locum ejus licet immeriti teneamus qui juxta verbum propheticum liberavit pauperem à potente, & inopem cui non erat adjutor, diligenti studio satagere nos oportet ne minores à majoribus opprimantur, sed ut Praelati sic exerceant acceptam jurisdictionem in subditos, ut prodesse probentur potius quam praesse. Haec ergo secundum officij nostri debitum attendentes, districta dudum tibi jussione mandavimus ut in negotio capellae de Lamhee juxta formam literis apostolicis comprehensam ab oppressione monachorum Cantuariensium omnino cessares. Super quo venientes ad praesentiam nostram dilecti filij R. de Boxleia & Vv. de Ponte Roberti Abbates, nuntij tui, fraternitatem tuam nitebantur multipliciter excusare. In primis siquidem proponentes quod cum bonae memoriae Theobaldus Cantuarien. Archiepiscopus & gloriosus Thomas successor ipsius, attendentes quod nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus, & nolentes monachos Cantuarien. relictis divinis officiis ad negotia secularia se transferre, ad honorem protomartyris Stephani aedificandi Ecclesiam voluntatem & propositum habuissent, & in ea seculares Clericos ordinandi, de suis proventibus & Ecclesiis eis redditibus assignandis, per quos tam apud apo. sedem quam apud curias seculares sua possent negotia expedire, laudabile primi propo-

tum obitus festinatus, secundi longum exilium impedivit, sicut in literis ven. fratris nostri I. quondam Lugdunen. Archiepiscopi plenius continebatur expressum, quae in nostra & fratrum nostrorum fuerunt praesentia recitatae. His bonae memoriae Balduinus Cantuarien. Archiepiscopus ita proposito ut officio, voluntate ut dignitate succedens, prope suburbium civitatis Cantuarien. quasi per stadia tria vel quatuor ad honorem praefati protomartyris & beati Thomae construere coepit Ecclesiam, felicitis record. Urbani Papae praedecessoris nostri super hoc indulgentia primitus impetrata. Cujus sibi fuit auctoritate concessum ut in honorem ipsorum martyrum & aedificare posset Ecclesiam, & de personis idoneis ordinare, quibus in ecclesiasticis beneficiis canonicè provideret, sic tamen quod Ecclesiae debitum obsequiis & necessariis stipendiis minimè fraudarentur. Et licet idem Urbanus adversus dictum B. praedecessorem tuum super demolitione operis suas saepius literas destinasset, quia in eis non faciebat de concessa jam indulgentia mentionem, ei dicebant per rescripta frequentia nullatenus derogatum, quae praeterea proponebant & per falsi suggestionem & veritate tacita impetrata, & ad ipsius Archiepiscopi notitiam minimè devenisse. unde, si eis non paruerat, de jure non poterat reprehendi. Rescriptum quoque sanctae memoriae Gregorij Papae praedecessoris nostri pro se pariter producebant: qui cum per literas indulsit generales ut rescripta quae à tribus mensibus ante obitum praedicti Urbani praedecessoris sui fuerant impetrata, eandem firmitatem haberent, non obstante obitu mandatoris, quam obtinere, si tunc viveret, debuissent negotia quae ipsum Archiepiscopum & ejus Clericos contingebant, sub praemissa noluit generalitate concludi: per quod nimirum rescriptum praedecessoris sui dicebant literis derogatum, quas adversus Archiepiscopum direxerat ad instantiam monachorum. Quibus siquidem literis, & etiam bonae memoriae Clementis successoris sui, qui ejus in hac parte fuerat imitator, per factam tunc temporis amicabilem compositionem de partium voluntate inter Archiepiscopum & monachos memoratos per carissimum in Christo filium nostrum R. Anglorum Regem illustrem, & vene-